

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 23. Martij.

M. FRANCISCO GOUEL, Doctore Medico, Præſide.

Minuſne ſalubris μονοσιτὶν?

I.

PROPTER quem incluſum Calorem vivimus, is tam aſſiduo micat, & agitatur ex ſeſe; ut vitæ nuſquam eſſe poſſet niſi brevis admodum adminiſter; ni uſa callido prorſus artificio Natura parens, illum in pingui quodam ac tenaci humore, ſic tanquam in viſco, inhæreſcere juſſiſſet. Quamvis autem ſic irretitus detineatur, ſuæ tamen ſemper retinens indolis perquàm actuoſæ, ſi minus inde erumpit apertâ vi, & impetu ſubito, at certè aſſiduiſſimè carpendo aliquid illius, in quo reſidet, ſucci, atque depaſcendo, clam & ſenſim elabitur, dilapſuſque nunquam non aliquâ ſui ex parte vaneſcit. Hinc jugis illius, quod in horas capimus, detrimenti ſancita fato perennitas; hinc quotidianus corporis noſtri defectus; cui, ut naturali quidem, at ſimul graviſſimo, verius aliquam prolixæ Mortis, atque productæ ſpeciem præ ſe ferenti morbo, aliquo modo tantùm, & non aliter mederi licet; quàm ſi labantes & caducæ continenti deceſſione vires, renovatâ identidem ſupparis cibi, potuſque reſpondentis acceſſione ſuſtententur. Humani porro victus legem & formam ſic inſtituere, ut omnes habeat ſalubritatis numeros operæ-pretium eſt: alimentorum enim præſcribere ordinem, delectum habere, juſtum præſtituere modum, laudatâ frugalitate, ut Mentis cuſtode fideliſſimâ, & optimâ ſecundæ valetudinis, adeoque vitæ melioris procuratrice, minime Medico ſatis eſt; niſi captatâ inſuper alendi corporis opportunitate, & eligendo præbendi cibi tempore cumulatè muneri ſuo ſatisfecerit. Duorum igitur, quæ tanquam Naturæ judicia dies multa confirmavit, effatorum bene memor ille ſit; nimirum cibi ac potionis tantum eſſe adhibendum, ut vires reficiantur, non opprimantur; tum laboris, cibi, & ſomni, tam ſingulorum per ſe ſeorſim, quam univerſorum inter ſe comparatorum longe optimam, ac vere auream eſſe mediocritatem; adeoque videat imprimis ne vel alendo rariùs, ſi ad raritatem edendi paucitatem adjungat, defraudet genium; vel, ſi rarioris victus ipsâ multitudine compenſandi fuerit author, obruere multò magis, quàm fulcire vires videatur. Tandemque caveat, ne quotidie ſemel tantùm paſto corpore cibum aut à labore, aut à ſomno, aut ab utroque longiori intervallo diſtrahat; treſque res iſtas, quæ à naturâ prorſus aptæ inter ſe, & congruentes eſſe debent, magnâ ordinis, majore valetudinis perturbatione, malè inter ſe conciliet.

II.

OPPORTUNUM cibi ſumendi tempus eſt; quando plane confectus prior, & meliore jam portione ſui digeſtus abit, aut abſumptus eſt in exhauſtarum partium inſtaurationem. Tum quippe reliquiis ejus aut in alvum

depulsis, aut inde prorsus ejectis, vacuus & liber ita stomachus nitet; ut haud injucundo, nec acriori vellicantis famis aculeo punctus, & admonitus tum suæ, tum reliqui corporis indigentiæ, certo & explorato referat advenisse necessitatem novi pastus tempestivitatem; hanc vero non modo non rejicere sed obviâ potius offerendi quàm mox alimenti benignitate exceptam demorari conveniat. Secus si faxis, graves à te illa brevi postea repulsæ pœnas reposcet; & sexcentis malè mulctabit modis, ac incommodis afficiet. Quid enim mali non potest afferre tolerata diutius fames? Scilicet illa paucis post horis impotenter adeo forte dominabitur; & ad rabidam tam prope orexim accedet; ut crudos, & nondum confectos in ore cibos ventrem coactura sit vel invito mandenti eripere, quò se lattrantem opsonet, & inferciat, ipsâ multo magis prægravandus satietate, quàm exemptâ fame fruiturus. Vel concitato tumultu, commotisque, ac confluentibus in nutritionis penum vitiosis, si qui aliquo recessu abditi silent, humoribus ita cumulabitur ventriculus, atque sordescet; ut eâ ipsâ de causâ languidiùs appetens, minusque arcte complectens alimenta, coquendis illis eò infeliciorem, quò districtiorem operam daturus sit. Hæc & alia plura haud paulo graviora facile mala declinaverit, qui Naturam audierit, dum sui juris est, recta semper admonentem; lubensque indulserit ei pro diverso cujusque tum temperationis modo, tum vivendi instituto ac genere, cibum toties impertitus; quoties non mendaci esuritionis significatione datâ reficere se ab opere, & inediâ uniuscujusque Natura necesse habuerit. At non semel illa, cujusmodicunque fuerit, in die cibum efflagitat in locum succi, tum ab efficaci calore, tum ab operoso diurni muneris labore consumpti reponendum. Usque adeò, ut tota videatur à Natura fuisse ducta solemnis illa consuetudo; quæ alternas tum laboris per se solius primùm, tum deinde laboris, & somni, quas dividit vices, dati certo ex horarum in die intervallo nutrimenti saluberrimâ interpositione componit.

III.

MONOΣITHIN, cui non una subjecta notio est, hîc ut fere semper unicâ, quam suppeditat cibus in die, refectione continetur; sive prandij dicta nomine medium prope partiatur diem; sive cœna vulgo nuncupata terminet extremum, fessumque diurnis ministeriis Corpus recreet, & ad somnum ac quietem noctis à labore traducat. Nonnullis equidem in morbis magno illa quandoque usui esse potest. Sanis vero studiosissimis tuendæ valetudinis suæ tam malè convenit, quàm nemini unquam contigit intempestivo nimis, aut restricto victu pascere; se maligniùs aut incommodiùs & aptam ad firmam integramque valetudinem, ac obeunda feliciter vitæ munia temperationem diu retinere. Major enim cibi parsimonia, aut ejusdem suo minus tempore subministrati aliena sanitati raritas, incredibile dictu est, quantopere Naturæ fundum depopuletur; quotque ac quantos accisis ejus opibus morbos cumulet morbis, qui præproperam accersunt senectutem, mortemque maturant. Ubi quippe nutritiæ partes vel inopiâ sensim enectæ exaruerunt vel succubuerunt oppressæ, reliquum corpus unâ contabescere aut corruere necesse est. At senescentia non prandentium exta in tabem ire celeriùs ex antiquissima olim observatione litteris proditum est. Neque vero unum dumtaxat corpus malé habet μονοσιτίη; tentat & lacessit Animum quoque, ac fæda ipsum inficit labe asperitatis morum parum se accommodantium humanitati. Μονοσιτοῦντες quippe morosi, difficiles, amari, queruli semper, irasci faciles ac pene omnia stomachari; cunctis denique refertissimi

vitiis, flavæ, atræ, ac ſplendidæ bilis; cujus adeoque caloris in μονοσιτίη vis acrior haud aliá de causâ ſic incredibilem efferatur in modum; quàm quòd nuſquam crebra ſatis expetiti cibi ſuavitate delinita miteſcat. Adeo verum eſt in parciore victu atque rariore multò graviùs, quàm in pleniore paulo atque frequentiore peccari. Tantique refert μονοσιτίη rectè diſpenſatam anteferre πολυφαγίην.

IV.

BENE adminiſtrata πολυφαγίη dum apte dividit cibi ſumendi tempus, illud quoque certiùs, quàm ipſa μονοσιτίη, prudentiuſque definit. Semel etenim tantum edentes in die ſatis expedire non poſſunt, prandione cœnam, an cœnæ prandium præoptare habeant. Si prandium arridet magis. Dicant quæſo; inchoatum opus largiore prandio ſic intermittentes paulò poſt repetendum, quam demum impune ferre valeant rem omnium inſaluberrimam; diſtracto tam diverſe tum temporis Calore nativo, ut mille morborum parens cruditas fere ſit ineluctabilis, ſpiritibus evocari foras; & ad vigiliam, opuſque diverſari tunc maxime coactis, cum revocatos intro eſſe, ac in operoſa diarij concoctione verſari totos tantopere neceſſe eſt. Explicent porro; quomodo ſic pranſos, incœnatos autem ac veſpertina refectione vacuos, longus, qualem Natura deſiderat, altus, arctiorque ſomnus eos complexurus ſit: profecto quantacunque ſit hominum à labore ad ſomnum proclivitas; ſi laborem aut defecerit cibus, aut ab hora quietis fuerit disjunctior; ipſos vigiliæ ſimul, ac ſomno prorſus impares, & agilitas expedita vigilantium, & dormientium optata tranquillitas deficiet. Quod ſi nutriendi corporis horam protrahere libeat; diurniſque muneribus liberati malint ad edendum accedere, nobis ediſſerant; quî ſic jejunis ſolidi diei labor innocens eſſe queat; aut qualis tandem valetudo conſtare poſſit iis; qui laborem impranſi, diemque voraciore cœná ita claudere incolumes ſe poſſe confidunt. Quanto rectiùs, & convenientius Naturæ πολυφαγίη, quæ labore matutino vires exercitas, tum ne fatiſcant illæ, tum ut pomeridiano ſufficiant operi paulo poſt retexendo, tam attemperate fulcit prandio frugi; ut liberaliori cœnæ, ſomnoque inde faciliùs illapſuro opportunius adhuc inſtaurandas, reficiendaſque plenius reſervet. Neque vero eſt, quòd adeo caute iterati eſus dividenti tempora, tanquam alicui menſarum omnium aſſeclæ, quiſquam illud, ut abſolutæ in ventriculo coctionis, ita repetendæ menſæ, infinitum ac interminatum tempus objiciat. Finitum enim ac terminatum ſatis utrumque eſt; cum juſtus cibi modus exigitur ad juſtum, quod datur ſpatium ſtomacho, ad conficiendum penſi quodcunque ſui eſt. Ita vero ſe res habet, ſi prandium tanto fere altero cœnâ parcius ſeptem ab ea inſequente, vel octo, cœna autem duplo circiter prandio largior ſexdecim à craſtino vel ſeptemdecim horarum intervallo diſtet. At porro quis adjutor Naturæ paulò conſultior grave coctionis alimentorum onus partiendo ſic allevatum facile non exiſtimet fore ut multò commodius, leviuſque, quàm totum ſemel, & confertim impoſitum ventriculus ferat? Atque adeo ſic ingeminati in die cibi prudens indulgentia vincit inanem illam ſeveræ frugalitatis ſpeciem quam præ ſe fert Animi forte, non multò minus quam corporis ſanitati & viribus inimica μονοσιτίη.

V.

MONOΣITIHN ut minus ſalubrem, eoque nomine multo inferiorem πολυφαγίη concedere ſi non evinceret ratio; at certe uſus ſatis ſuperque revinceret. A carceribus ad calcem quippe vitam hominum ſi percurrimus, ætatem prorſus inveniemus nullam μονοσιτίης ſine damno patientem. Infantes, (ſi

possunt illi exemplo esse) dies, noctesque, ab uberibus pendulos, & in lacte sugendo assiduos videre est. Pueris si lacte subducto frequentiorem subduxeris cibum; & iniquam μονοσιτίης imposueris legem; gravius profecto, & nusquam ferendum onus imposueris. Adolescentibus vero, adultæ, & constantis ætatis Hominibus, quorum ad ignem velut ad luculentiorem caminum largius, atque crebrius apponi pabulum par est, an semel tantum in die capere cibum prudenter edices? Senes autem, quos, ut dilabentem in cineres facem, micans ardor vitæ jam, & flamma deserit, velut ad vitæ carceres revocatos, puerorum more tractandos, eorumque Naturam, quo propius abest ab imminente fato, ut paucioribus quidem, ac facilioribus coctu, ita etiam paulò crebrioribus alimentis esse sustinendam quis neget? Fossores denique, rusticos, messores, fabros, & id genus alios homines, qui sua sine corporis viribus opera sufferre nequeunt, & quibus opera ipsa vita est, lente maceratos enecas; si duriore vinculo μονοσιτίης astringis. Quinetiam quibuscunque corpore minus, quàm animo industriis, Ingenij munus, non laterum, lacertorumque tuendum, ac exequendum est, ut equidem per aliquod tempus ad curandam Mentis, & sensuum aciem non inepta fortassis omnino μονοσιτίη fuerit; at certe ratione habita totius vitæ curriculi, quod exiguum, & breve per se circumscriptum μονοσιτίη contrahit adhuc tristius; dum laudem acuminis in Mente & sensu efflorescentem ocyus extinguit; profecto nimio plus id omne fuerit, quod ad eximiam adeo deterendam dotem, quàm quòd ad obtinendam momenti habere vulgo existimatur. Accedat his, quòd illi ipsi, qui vitæ austerioris disciplinam amplexati sunt Homines professione, & instituto Religiosi, vel hoc etiam indicto pœnitentiæ sanctioris, & jejunij tempore μονοσιτίην abdicandam, & ut à Naturâ nimis abhorrentem, rejiciendam prorsus esse censuerunt. Adeo nulla ætas, nullum vitæ genus, ac institutum, nulla omnino cujusquam Natura, cui non valde noceat insalubritatis damnata μονοσιτίη. Uno verbo quantum, aut quantulumcunque istud est alimenti, quod in annonam diurnam sit satis, uno simul, & semel tempore ingerere oneraturum multo minus salubre fuerit, quam suis dividuum temporibus, & sic levamento futurum capessere.

Ergo minus salubris μονοσιτίη.

Proponebat Parisiis PHILIPPUS TOURBIER, Peronæus,
A.R.S.H. 1679.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.